



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Weichenstephanum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

8. *Petrus.*9. *Stephanus.*10. *Wernherus.*11. *Ludovicus.*

12. *Ulricus Hiebertus* Ettenburranus, latinè satis doctus, optimus œconomus eligitur anno Christi 1505. fuit egregius illustrator Monasterii, cui laudabiliter præfuit annis 27. Restaurator templi ruinam minitantis. Obiit anno 1532.

13. *Georgius Frey* Gunsburgius, eligitur anno 1532. homo morosus & in quem non male quadrat veteris poetæ, de Polyphemo versiculus:

*Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli:*

Præest hoc nimirum currente adhuc Jubileo.

**W**Eichenstephanum (quod si latinè dicere velles. Consecratum Stephanum non inconvenienter appellaret) Benedictinæ professionis elegans ac magnificentissimum in amenissimoque monte, prope Frisingam, Episcopalem in Bavaris civitatem, situm Cœnobium: constructum legitur anno Christi 830. Ab Hitone Frisingensis Ecclesiæ Episcopo sexto, qui instituit ibi primum, Præpositum cum sex Præbendariis. De hac prima fundatione extant tales versiculi rudes quidem & Barbari, sed ob antiquitatem non omitendi.

*Centum sunt octies triginta scilicet anni.*

*Christi verbigena per omnia secula regnantis,*

*Suplex Hittonis devotio Præsulis almi.*

*Frisinga fundat, statuens hic præposituram.*

Præpositura S. Viti.

Anno vero Domini 1021, transtulit præposituram hanc in ejusdem montis umbilicum S. Viti appellatione notum, in hunc consecrati Stephani verò altiorem montem Monachos cum Abbate Secundum D. Benedicti regulam victuros introduxit Dominus Egilbertus, omni laude dignissimus Frisingensium Episcopus, & Antistes decimus septimus, ex nobilissima Mosburgensium Comitum stirpe natus. De qua secunda & vera fun-

fundatione in hunc usque diem durante tale extat Tetra-  
stichon;

*Hinc anno Milleno vigeno quoq. primo,  
Præposituram Præsul Egilbertus vehit inde  
Translatam, Viti capere cacumina Montis:  
Capit ac hic Benedicti floribus ordo per ipsum.*

Dedit verò Episcopus Egilbertus de rebus Ecclesiæ S. Ma-  
riæ virginis, ac S. Corbiniani, primi Frisingensium Episcopi,  
ad Monachorum hujus loci sustentationem & pagos multos, &  
decimas plurimas, in variis locis. Sanctus autem Imperator,  
Henricus, cognomento claudus, dedit eidem novo Monasterio,  
partem insulæ cujusdam in Austria sitæ, quam Saxonaganam  
appellabant: pro qua idem præsul Egilbertus dedit Monachis  
villam Hagelhusensem. Apellatus est antiquitus Mons iste ex-  
celsus (in quo est Cœnobium consecrati Stephani, & ex quo  
videri possunt multæ circumjacentes urbes, Monachum videli-  
cet Landishuta & aliæ) Thertmons, vel Thettonis mons, ut  
est in his duobus adhuc versiculis:

Saxonaga-  
na.

Thettonis  
Mons.

*Inclutus iste locus proprio cognomine Thettmons,*

*Noscitur esse sacer, procerum de pignore comptus.*

PipiniCa-  
stra.

In ejus summitate castrum olim fuisse legitur Pipini Gal-  
liarum & Alemanniæ Regis, in quo postea Carolomannus et-  
iam sedem suam habuisse scribitur. Fuit verò arci contiguum  
templum etiam S. Stephani, id anno Christi 740. à Pipino con-  
ditum & illustratum est. Eversum est castrum an .Domini 746. à  
Marfilio Svevorum Rege; Pipino in franciam Orientalem, ad Ca-  
rolomannum, profecto, videnturque hodie adhuc in Monte fossæ  
amplicæ, quæ arcem magnificam ibi fuisse satis luculenter osten-  
dunt. Circa vel paulo post hæc ipsa tempora Romam pere-  
grinatus est S. Corbinianus, qui à Papa, beato Gregorio Juniore,  
sacerdotalem, cum Pallii privilegio, benedictionem adeptus, in  
convertendas ad Christum gentes ac Idolatricas adhuc provin-  
cias mittitur. Is variis locis concionans, tandem per Tridenti-  
nam vallem, in Bavariam venit, à cujus terræ præglorioso Du-  
ce

S. Corbi-  
nianus.

Benedicti  
Chronica  
Monasterii  
S. IIII

ce Grimoaldo clementer exceptus esse legitur. Ibi vir Dei S. Corbinianus in honore S. Benedicti primum in monte Frisingensi, ducali Auctoritate sibi concessa, eam Ecclesiam condidit, quæ beatæ virginis Chathedrali templo contigua etiam hodie adhuc est: in eam Monachorum sacrum Conventum collocavit. In hoc verò S. Stephani etiam Monte, idem S. Corbinianus primus Frisingensium Episcopus, oratorium sibi condidisse, & illic vixisse legitur, inductus in eum locum miraculosâ quadam Pfallentium Angelorum voce. Ostenditur illie hodie adhuc puteus & uberrimus Fons, quem S. Corbinianus precibus à Deo impetrasse, & terrâ bacillo percussa fecisse dicitur, deficientibus in monte aquis, & de procul afferendarum aquarum difficultate conquerentibus Episcopi ministris. Extant de hoc fonte tales adhuc versiculi:

Templum  
S. Benedicti.

Fons, bacilli percussione, extant.

*Transactis igitur per tempora plura diebus,  
Concessas quondam plebs sitiebat aquas:  
Accendunt animos in vota, precesq; retexunt:  
Ipsè fatigatur voce polus querula.  
Jejunant, quin & tridui statione peracta,  
Quaritur ad motis forte locus crucibus.  
Hac freti clerus, plebs, innuptaq; puella  
Adiunt, & Christum supplice voce rogant.*

Tantum invenio de hujus loci Antiquitatibus. Catalogum Abbatum talem mihi communicavit ejusdem loci ingeniosissimus artificiosissimisque Cœnobita, Benedictus Dollius Cellæ præfectus: Mathematicus, pictor ac sculptor planè mirificus, humanitate nemini sui ordinis hominum secundus.

1. *Gerhardus* ex Bavarico Monasterio Seün assumtus, præficitur Abbatix consecrati Stephani Primus Abbas, ab Episcopo Egilberto: quamdiu verò præfuerit, is ignoratur.

2. *Arnoldus* substituitur Gerharo, ab ipso eodem etiam Episcopo, sed quo anno id etiam incertum. Obiit verò anno Christi 1041. Sub ejus gubernatione decessit ex hac vita Egilbertus fundator, anno 1039. cum sedisset ad clavum Episcopatus,

N n n n t u s,

tus annis 34. Sepelitur in Ecclesia Cathedrali, & ante aram S. Spiritus.

3. *Dietfridus* successit *Arnoldo*, discessit ab Abbacia, & dimisit eam anno 1047. cum præfuisset sex annis.

4. *Henricus* præfuit annis 15. dimisit Abbaciam anno 1062.

5. *Beringerus* præfuit duobus annis, & submersus perit in Danubio tertia Kal. Maij, anno Christianæ Salutis 1064.

6. *Flagano* successit octava Kal. Febr. Anno 1065. Obiit anno 1070. cum annis præfedisset 15.

7. *Henricus* obiit anno 1082. cum præfuisset annis duobus.

8. *Erchangerus* præfuit quarta Nonarum Augusti. Sub eius gubernatione combustum est Cœnobium, anno 1085. per negligentiam Monachi cujusdam; reconsecratum verò post hujus reedificationem, octava Kal. Septemb. anno 1095. à *Meginhardo* Frisingensi Episcopo, qui *Ercangerum* tandem exauthoravit.

9. *Pabo de Prifelingen* propè Ratisbonam sito Cœnobio evocatus: efficitur Abbas hujus loci anno 1096. & paulò post iterum deturbatur è gubernationis fastigio. Sequenti anno *Henricus Quartus Imp.* ab Italia reversus, reimpetravit exauthorato *Erchangelo* Abbaciam. Anno 1098. obiit Episcopus *Meginhardus*, successit *Henricus*, qui anno 1099. *Paboni* Abbaciam reddidit. Hoc ipso anno visæ sunt à *Marquardo* clerico S. Virginis variaz & insolitæ apparitiones igneæ, faces ardentes, & similia metorea multa, supra Cœnobium S. Stephani.

S. Virginis  
apparitiones.

10. *Meginhardus* eligitur anno 1117. Sub hoc fulmine est tactum Cœnobium, ita ut Monachi etiam prosternerentur in templo, sed citra jacturam vitæ.

11. *Sigmarus* præfuit Abbacia, ab *Othone* Episcopo, anno 1138. fuit nobilis genere. Consequutus est Privilegia ab Imperatore *Conrado secundo*, & Papa *Eugenio tertio*. Obiit anno Domini 1147.

12. GUN-

12. *Gutherus*, Abbas Weihenstephanianus constituitur, anno 1148. & anno sequente exauthoratur iterum, fratribus aliquibus insolentiam ejus accusantibus.

13. *Rapatho* successit ei, qui tandem cæcus effectus. Resignavit Abbatiam, anno 1172. cum præfuisset utiliter annis 23.

14. *Sibotho* subrogatur resignanti Rapathoni, præfuit duobus annis, & ultrò sese Magistratu abdicavit, eò quod se inhabilem, ac parum tali gubernationi idoneum esse videret.

15. *Regimborho* designatur anno 1174. præfuit octo annis, & longâ infirmitate planè defatigatus, & omnibus viribus exhaustus, resignavit anno 1182.

16. *Alto* successit, ex Priore Abbas factus. Sub ejus Regimine, secundo concrematum est Cœnobium V. Id. Maii, anno 1197. incipiente noctis crepusculo: postquam calamitatem Alto resignavit, cum sedisset ab Abbatia clavum annis quindecim.

17. *Eberhardus* eligitur anno 1197. præfuit annis 22. Sub eo dedicatum est Monasterium hujus loci, anno Domini 1200. in ipso videlicet anno Jubileo, à Venerabili Domino Chunrado Moguntino & Sabinensi Episcopo, Crucis Christi Ministro: cooperante sibi Othone secundo, Frisingensi Antistite. Idque factum in honorem S. Michaelis Archangeli, & S. Stephani Protomartyris, tertia Kal. Octobrium. Obiit Eberhardus Abbas anno 1219.

18. *Meinhardus* successit Eberhardo: qui cum 5. annis præfuisset, abdicavit sese iterum Magistratu anno 1224.

19. *Udalricus* Ætalensis Abbas, successit anno 1225.

20. *Udalricus* Secundus, Abbas in Seün: eligitur in hujus etiam loci Administratorem, anno 1226. Sed ultrò Abbatiam susceptam mox iterum dimisit.

21. *Udalricus* Tertius eligitur anno 1227. præfuit annis 24. *Elipsis Solis maxima.*  
Sub ejus gubernatione anno Domini 1241. pridie Nonarum Octobris Eclipsis Solis facta est tanta, ut claræ Stellæ apparerent in cœlo, ipsò etiam medio die. Sequente anno

Nnnn 2 anno

Monialium  
Cœnobium

anno claustrum Dominarum (quod à prima fundatione huic Cœnobio junctum fuit) combustum est, in festo undecim millium Virginum. Et iterum in sequentibus temporibus, anno nimirum 1245. totum Cœnobium Weichenstephanianum, in festo Leodegarii Martyris exustum est. Obiit Abbas iste Ulricus Tertius, anno Christi 1251. decima quinta Kal. Maii.

22. *Henricus* subrogatur *Udalrico Tertio*, præfuit 4. annis, & resignat.

23. *Udalricus* Quartus, de *Tegernsee* S. *Quirini* Bavarico Cœnobio assumtus eligitur, anno 1255. Obiit mox anno sequente.

24. *Ludovicus* successit: sed is iterum Magistratu sese abdicavit, anno 1262. cum sedisset ad gubernaculum quinque annis.

25. *Chunradus* Primus eligitur anno 1262. præfuit 38. annis. Decessit ex hac mortali vita, anno Christi 1300.

26. *Chunradus* Secundus primò substituitur. Sub ejus gubernatione reconciliatum est Monasterium anno 1305. ab Episcopo Sabinensi. Idem *Chunradus* Abbas anno 1309. creatus est Ananiensis Episcopus, & Suffraganeus Ecclesiæ Frisingensis: Consecratur in civitate Concordiæ à tribus Episcopis: & nihilominus Abbatiam tenuit per triennium adhuc.

27. *Nicolaus* eligitur in Abbatum, anno 1311. præfuit per unum saltem annum, & obiit.

28. *Henricus* cognomento *Seefelder*, assumtus è S. *Quirini* Tigurino apud Bavaros Cœnobio: eligitur anno 1312. Quamdiu præfuerit, ignoratur.

29. *Waltherus* successit: sed quo anno, id æque incertum est. Decessit iterum & à gubernatione & ex vita anno Christi 1319.

30. *Chunradus* Tertius *Walthero* subrogatur: præfuit per novennium. Obiit anno 1328.

31. *Chunradus* Quartus, cognomento *Chrenius*, Austrius: successit ejusdem nominis tertio. Præfuit 3. annis. Obiit anno Domini 1331.

32. *Mar-*

32. *Marquardus* eligitur in festo S. Barbaræ ejusdem anni, quò antecessor rebus humanis exemptus est: Præfuit annis 36. Confirmatur Constantiæ, ab Episcopo Frisingensi Chunrado de Klingenberg, Dominica post Epiphaniam. Reparavit is Abbatiam quarto sui regiminis, anno videlicet 1336. Ejusdem anni <sup>Bellum in</sup> <sup>Bayaria.</sup> tempore Autumnali, in festo traslationis S. Ruperti, totum Monasterium cum omnibus penè ejus, & intra & extra muros habitis rebus, tam in prædiis, quàm in structuris, miserrimè & devastatum & spoliatum est, per exercitum quadraginta millium Galeatorum imperatoris Ludovici ex una parte, qui cum eodem exercitu Frisingi & circumquaque, per totam æstatem commorantes violenter omnia destruxerunt: Et ex altera parte per Ducem Landishutanum Henricum, cum exercitu duorum Principum, scilicet ipsius Ducis & Regis Bohemiæ, trium millium Galeatorum contra dictum Imperatorem pugnantium. Sed Imperator cum suo exercitu victor, totam terram ipsius ducis Henrici potenter transivit. Hæc magis notabilium hujus loci calamitatum legitur fuisse quinta.

Anno Domini 1348. in festo Conversionis S. Pauli: sole adhuc lucente & claro, circa pulsum vesperarum, die statim nubibus involuto & nubilo facto, tantus terræ motus factus est, quantus à passione Domini nec visus nec auditus. Vidimus <sup>Terræ mō-</sup> <sup>tu stupen-</sup> <sup>dim.</sup> enim ( sic scribit is, qui eâ tempestate in Coenobio hoc vixit, & tantum miraculum annotavit ) domos altas & muratas, pariter & Ecclesias fortissimè se moventes, audivimus, item Fenestralia propter motum tam violentum, sonum edere maximum. Vidimus arbores sylvestres maximas in terra stantes, se commovendo invicem pulsare, fluxus rectos aquarum errantes, & extra ripas suas, propter tantum tremorem terræ evagantes: Aquas vero limpidissimas etiam, vidimus hoc terræ motus tempore turbidas, hâc hora fuerunt homines quasi amentes, & dolentes circa capita. Euntes in via errabant: stantes, stare non volebant. Audivimus insuper ob motum talem campanulas in Ecclesiis dependentes sese pulsare. Obiit Abbas Marquardus anno 1367.

Nnnn 3

33. Gal-





37. *Fridericus* ex Priore Abbas factus, successit Leonhardo: sed non diu præfuit, anno enim primo ordinationis suæ, à quibusdam malis ac turpibus mulieribus, in balneo Villæ intoxicatus est, ita quasi leprosus videretur totò corpore: Unde & una earum comprehensa, viva sub patibulo, terræ injecta, & sepulta est. Sic eodem anno misere vita functus est *Fridericus*, & in Capitulari domo humatus. Eodem verò anno balneum ipsum in villa, cœlesti igne incensum, consumitur.

Mulieribus  
malitia.

38. *Eberhardus* eligitur anno Domini 1416 quo & confirmatur: Vir corpore & mente egregius. Hic primus insulatur ab Alberto Episcopo Frisingensi, in die Philippi & Jacobi. Idem reformationem incepit, regularis vitæ per omnia studiosissimus. Edificia multa præclare illustravit & auxit. Ab eo testudines ante portam, & in Abside Ecclesiæ ad S. Andream, cum ipsa Turri Ecclesiæ constructæ sunt, auxilio & ope strenuissimi militis *Wilhelmi de Fraunberg*, illic sepulti, cum suis majoribus. Interfuit Abbas iste Concilio Basiliensi, ubi coram universo Concilio sub insula publice Sacra fecit. Sub ejus gubernatione emtæ sunt Vineæ in *Kelheim*, oppido Bavarico, tribus supra Ratisbonam miliaribus ad Danubium sito, ubi dicitur nasci naturale acerum potius, quàm vinum. Præfuit *Eberhardus* Abbas laudabiliter, annis 32. & obiit anno 1448. sepultus ante aram S. Crucis.

39. *Joannes* ex Priore fit Abbas, concorditer electus, moxque ab Episcopo Frisingensi *Joanne Grienwaldero* confirmatus, anno Christi 1448. Vir omni discretionem plenus, cunctis amabilis, largus & pius. Multas is vidit sui seculi ærumnas, nempe grandines, fulminationes & bella civilia. Anno 1472. sub eo ad clavum sedente, fulminata Ecclesiæ turris intus tota combusta est, ipsâ die Sancti Joannis & Pauli, inter horas 7. & 8. ante medium noctis: perierunt verò sex ibi campanæ. Anno sequenti in aurora prædictorum Sanctorum, infra primam & secundam pomeridianas, fulminatum est majus horreum cœnobii, in Colonia, unâ cum cohærentibus ædificiis infra & supra annexis, usq; ad tabernam, quæ

omnes

omnes igne perierunt. Ad eò habuit hoc Cœnobium male propitium Vulcanum. Sub eo emta sunt Vineæ in Aultria. Præfuit annis 33. cum summa laude. Obiit anno Salutis 1481. in Calendis Februarii. Sepelitur in Ecclesia, circa aram Sanctorum Achatii, & Mauritii à se constructam.

40. *Leonhardus Nagel* eligitur anno 1481. fidelissimus & prudentissimus servus, quem constituerat dominus super familiam suam: Vir ingenii & animi sagacissimi, & omni laude dignus, admodum verò afflictae valetudinis. Is Abbatiam è fundamentis erexit de novo. Præfuit tantum tribus annis, & obiit septima Cal. Septembrium, anni à nato Christo 1484. Sepelitur ante aram S. Crucis in Ecclesia.

41. *Christophorus Carinthius* juvenis Religiosus, doctus & eloquentissimus eligitur anno 1484 absens, tempore videlicet vindemiæ, in Aultria Cœnobii negotiis invigilans, ac etsi refragaretur electioni plurimum, tamen consecratus est & confirmatus. Resignavit post pauculos annos, amore literarum & studiorum conferens sese Bononiam, retenta pensione annua tantum 32. florenorum. Bononiæ Sacram Theologiam professus, ibidem Doctor etiam Pontificii Juris effectus est. In Charinthiam deinde profectus, in Cellæ Marianæ magnifico Collegio proclamator verbi Dei famosissimus extitit, ubi & obiit, & humatus est anno Christi 1507. Paucis annis antequam ex hac vita emigraret, Frisingi fuit, & magnam pecuniarum summam dono dedit Monasterio in Weihenstephan, ad construendam Bibliothecam, cum elegantissimo Sacello Beatæ Virginis. Post obitum omnia ipsius ad Cœnobium hoc pervenerunt relicta bona.

42. *Wolfgangus de Weyx* substituitur resignanti Domino Christophoro, ab ipso Frisingensi Episcopo Domino Sixto. Vir senex & grandævus, Religiosorumque amator maximus, & singularis hujus Monasterii fautor, & benefactor, qui prius per 40. annos Cathedralis Ecclesiæ fuerat Canonicus, & Officialis. Vixerat juvenis in habitu Monastico, apud Melicense, in Aultria, Cœnobium, unde per amicos vi extractus, & à suo proposito re-

vocatus

Bibliotheca

Chronologia

Monasterii

von Gengen

S. III

vocatus, habitum ante professionem deposuit, & in Frisinga Canonicus factus, in seculari professione sacris servivit. Tandem resignans præbendam suam filio fratris sui Degenhardo, ipse ad Monasterium sese contulit, omnia faciens, quæ sui ordinis hominem facere decet. Abbas designatus, multa bona fecit Cœnobio, ambitum testudinavit, & plura alia ædificia renovavit. Sacrarium plurimis ornamentis decoravit, & ditavit. Obiit 7. Kal. Septembrium, Anno Domini 1495.

43. *Antonius* ex Priore Abbas factus, successit *Wolffango*, pater mansuetus, humilis ac Deitimens, ardentissimusque amator pauperum, largus, pius & omni virtute conspicuus, uti secundus *Martinus* aliquis, elemosynarum fidelis exhibitor ac distributor; gaudebat enim tempore magnæ Charitatis, dum feriis sextis, ante portam Monasterii acervus puerorum & pauperum magnus adesset, quorum nullum unquam inconsulatum & indonatum à se dimisit. Profuisset gubernatio ipsius huic loco plurimum, nisi crudele Bellum Bavaricum impedivisset, in quo Duci Alberto 800. Taleros numerare coactus fuit, nisi vellet exuri Monasterium. Rapinarum verò & direptionum nullus ibi erat modus, quibus & subditi depauperati, & Cœnobium graviter afflictum est. Obiit in die S. *Ruperti* Episcopi, anno Christi 1507. Martij 26.

44. *Benedictus* ex Priore in Abbatem eligitur, anno 1507. feria secunda post *Palmarum*. Invenit Monasterium ære, alieno maxime obstrictum cujus ipse tamen magnam partem exolvit: fuit enim vir & virtuosus, & diligens, ac prudens gubernator. Condidit pulchrum balneum in horto. Passus est invita gravamina, & non exiguas Principum suorum exactiones. Coactus est dare in spacio 12. septimanarum, 700. aureos, propter intestina bella cum *Wertenbergensi* Duce habita. Præfuit undecim annis, optime & laudatissime. Emigravit pie & feliciter, ex hac lachrymarum valle, anno salutis 1520.

45. *D. Thomas* vir latine doctus & facundus, honestate vitæ & morum insigni præditus, eligitur ex Priore in Abbatem, à Præsule *Frisingensi* *Philippo* Comite Palatino, anno 1520. secunda post  
Oooo Palma-

Palmarum, confirmatur feria secunda post Dominicam Quasimodo geniti. Præsides laudabiliter & utiliter, hoc adhuc currente anno Domini 1551. multa gravia & difficillima perpeffus, bella intestina Agricoliarum & Smalcaldensium, gravissimas exactiones, durissimumque jugum Principum nunquam non veredariis, venatoribus, & Falconum cicuratoribus, Cœnobium onerantium. Vir profecto meliore fortuna dignissimus. Senex obesus, humanus, gravis, doctus, & honestissimus. In cujus gratiam tale à me lusum est Schediasma:

*Si multos tales Abbates orbis haberet*

*Qualis is est Thomas, qui modo sceptrum tenet.*

*Elorent, & disciplina Monastica, & ipsa etiam alta*

*Temporibus priscis condito templa, & magis.*

*Doctus enim, facundus enim est, humanus amansque*

*Clarorum ingenio, & dexteritate, virum.*

*Sed pius est etiam & justus studiosus, & equus,*

*Omnia, virtutem, qui super alta colit.*

*Huic Deus omne bonum caelesti donet ab arce,*

*Et longæva senem vivere secula sinat.*

*Fortunetque, beetaque, domum sub Principe tali,*

*Omni qui dignus laude & honore fuit.*

Est vero Freisingi, etsi extra muros etiam, in ipso Isari & Mo-  
sæ amnium confluxu, aliud Monasterium Præmonstratensis, insti-  
tuti Nova Cella dictum: Id in honorem Sanctorum Christi Apo-  
stolorum, Petri ac Pauli, fundatum esse legitur, anno Domini 1141  
ab Othone Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, Austria nobilissimo  
Principe, artium Philosophiæ ac Sacræ Theologiæ Magistro, cu-  
jus extat latinum Chronicon de Imperatoribus toti Europæ no-  
tum. Habuit is germanum fratrem Conradum Salisburgensem  
Archiepiscopum foundationis hujus coadjutorem. Cubant in e-  
jus Cœnobii templo, S. Maurinus Scotus, Episcopus, & S. Teclanus  
ejus Diaconus peregrinatores Religionis ergò, qui Frisingi mor-  
tui, & hujus loci terræ mandati sunt. Præfuerunt huic Cœnobio  
semper præpositi, quorum talis extat Catalogus:

1. Hee-

Der New-  
Stift zu  
Freysingen.

Otho Fri-  
singus.

Brüder  
Chronicon  
Monasterii  
vniuersitatis  
S. III

1. *Hermannus* præfuit annis 40. Obiit anno 1180.
2. *Engelschallus* annis undecim. Obiit anno 1191.
3. *Altmannus* annis 17. Decessit anno 1208.
4. *Hartmannus* annis 4. Obiit anno 1212.
5. *Gosvinius* septem penè annis. Decessit anno 1218.
6. *Henricus* annis novem. Exiit hominem anno 1227.
7. *Albertus* annis 13. Valedixit hominum consuetudini, anno 1240.
8. *Gumpoldus* undecim annis præfuit. Obiit anno 1250.
9. *Conradus* annis 14. Emigravit anno gratiæ 1264.
10. *Ulricus* præfuit annis 16. Obiit anno 1280.
11. *Ulricus* secundus annis 14. Decessit anno salutis 1294.
12. *Grimoldus* per biennium rerum potitus est. Obiit anno 1296.
13. *Arnoldus* 19. annis præfuisse legitur: obiisse verò anno 1315.
14. *Henricus* secundus tribus annis ad clavum sedit. Obiit anno Domini 1318.
15. *Chunradus* secundus per unius anni spatium præfuit, & decessit anno 1319.
16. *Hermannus* secundus decem annis præfuit ac profuit. Obiit anno 1329.
17. *Chunradus* tertius quinque annis ad gubernaculum sedit. Obiit anno 1334.
18. *Ludovicus* similiter quinque annis, & obiit anno 1339.
19. *Henricus* tertius per biennium præfuit. Obiit anno Christi 1341.
20. *Henricus* quartus quatuor annis sedit. Obiit anno 1345.
21. *Fridericus* præfuit 12. annis, sex mensibus. Obiit anno 1358.
22. *Matthias* octodecim tantum septimanis & eodem anno obiit, quo præfidere cœpit.
23. *Albertus* eligitur anno 1358. præfuit annis 12.
24. *Sunzo* eligitur anno 1370. præfuit duodecim annis.
25. *Stephanus* cognomento Proczenestius, eligitur anno Christi 1381. præfuit 22. annis. Assumitur anno Domini 1388. in Administratorem Cœnobii Weihenstephaniani, cui per triennium

Oooo 2

nium

nium prudentissime, ac utilissime non præfuit tantum, sed & plurimum profuit, Monachisque ejus loci author postea fuit, & Ivafor, ut ipsi inter se aliquem idoneum Abbatem eligerent. Obiit anno Domini 1402.

26. *Ulricus Albinus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1417.

27. *Ulricus Holmasius* sedit ad gubernaculum annis 29. Obiit anno 1446.

28. *Joannes Schmidhoferus* triginta annis præfuit, fuit Vir doctus, magnæ existimationis in Curia Romana. Obiit anno 1475.

29. *Conradus Figelsheimer* nobilis, præfuit annis 20. Decessit anno 1495.

30. *Joannes Buchsenmacher* 12. annis. Emigravit ex hac ad aliam vitam, anno Domini 1507.

31. *Conradus Attingerus* sedit ad clavum annis septem. Obiit anno 1514.

32. *Stephanus Thiemarus* eligitur in Calendis Martiis, anni 1514. præfuit utiliter hoc adhuc currente anno Domini 1551.

**Z**UIFALTUM five Zuifaltaha, latinè ad duplices aquas, à duobus rivis Aych cognominatis, & in ipso Monasterio concurrentibus, sic dictum: magnificum ac opulentum Benedictini instituti Monachorum Cœnobium, Constantiensis Diœceseos, non procul à Danubio, inter Haingum & Riedlingum oppida, tribus milliaribus supra Ulmam, in Alpibus Sveviæ situm: fundatum ac amplissimè dotatum est, anno Christi 1088. in honorem Beatæ Virginis Mariæ, pro 12. Monachis ex Hirsangia, adductis, ab illustribus Comitibus de Achalm Luitholdo, & Chunone, duobus Germanis fratribus, Pontificatum Urbano Secundo, Imperium verò Henrico Quarto tenentibus. Donatum est mox ab Adalberto quodam Comite Calwensi Sindelfingiæ Cœnobii fundatore. Habitabant verò Comites isti de Achalm, alter in avita gentis suæ arce Achalm, quæ sublimis & magnifica hodiè adhuc visitur supra Reutlingum oppidum imperiale, in ducatu Wirtembergico: alter verò in Wulfsingensi castro. Qui, cum evocarentur ex hac mortali

*Haingum.  
Riedling.*

*Sindelfingen Cœnob.*

*Reutling.*